

DE
PLACENTA PRAEVIA
IN PARTV

CONSENSV

GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS

IN REGIA VIADRINA

GRADVM DOCTORIS MEDICI-
NAE ET CHIRVRGIAE

CAPESSVRVS

D. XI. IANVAR. CICDCCXCI.

DISPVTABIT

ANDREAS GEORG. ALEXAND. KOELPIN
GRYPHISWALDIA - POMERANVS.



TRAIECTI AD VIADRVM,
E TYPOGRAPHEO APITZIANO.

DE

ELAGINATA PRAEVALIA
IN PARTIA

sofiziert

CRAEGI MEDICORVM ORDINIS

IN TECIS AVIPINIA

CRAEGI DOCTORVM MEDICORVM

NATURAE CHIRURGIE

Dicitur DE MATERIA MEDICA

CRAEGI DOCTORVM MEDICORVM

NATURAE CHIRURGIE

PATRI OPTIMO

A. B. KOELPIN

M. D. PROFESSORI HIST. NATVR.
GYMNASIO ACAD. ET PHY-
SICO STETINENSI REL.

NEG NON



OPTIMA TATUM

A. KÖLLEPIN

TE M. LACERATORI MUL. NATAV.

GYM. GYM. AGED. ET. THY.

SCCO. THY. H. E. R.

MIC. HON.

COGNATO MAXIME VENERABILI
ALEX. KOELPIN
S. R. M. DAN. A CONSIL. IVSTITIAE
AVLAE REG. CHIRVRGO ET PROF.
CHIRVR. IN ACAD. CHIRVRG.
HAFNIENSI RE

COGNITUS MAXIMUS AVINTIENSIS

ALEX. KOBELPIN

EX LIBRIS A. COHN. FAVITIA

EX LIBRIS CHIVAGO AT TROP

EX LIBRIS M. G. CIRRIAGE

EX LIBRIS M. G. CIRRIAGE

VIRIS
NON VINCVLO SANGVINIS SOLVM
SIBI CONIVNCTISSIMIS
SED ETIAM
IN NVMERIS IN SE COLLATIS BE-
NEFICIS
IN PRIMIS VERO EO
QVOD STVDIORVM MODERATORES
SESE PRAEBERE HAVD DE-
DIGNATI SINT
AETERNV M DE SE MERENTIBVS

GRATIOSISSIMO ET OBSEQUENTISSL.
MO ANIMO

HAS QVALESCVNQVE

STUDIORVM PRIMITIAS

HVMILLIME

D. D. D.

AVCTOR.



INTRODVCTIO.

Genus humanum, licet plurimis
in rebus statu gaudeat reliquis ani-
malibus longe anteferendo: atta-
men, si sanitatem bestiarum cum
agmine morborum comparaueris,
quos homo, variis voluptatibus, po-
tissimum vero irregulari atque a sim-

A pli-

plicissimo, a natura ipsa monstrato,
vitae genere aberrante, sibi ipse parat,
non est, quod, hoc respectu,
non lubenter statum suum cum illo
reliquorum animantium commutari
desideret. Possem varia hic allegare
exempla, e comparatione morbo-
rum humani generis cum illis reli-
quorum animalium redundantia, ni-
si verbositatem nimiam metuerem.
Sufficiat igitur id tantum indicare,
quod scopo meo proximum inuenio,
partum scilicet. Quanta facilitate,
quam breui temporis spatio, quan-
nam cum virium aut conseruatione
aut cita recuperatione, quotidie pec-
pora, aut reliqua animalia domesti-
ca videmus fetum ex utero materno
in lucem protrudere! Rarissima in-
tercurrunt exempla, et haec saltem
inter ea animalia, quae iam statum
naturalem exuerunt, et hominum
fer-

3

seruitia facta sunt, v. c. in equis *),
quod alius ope ad fetum excluden-
dum indigeant. Nunquam autem
fere obseruatum est, animal quod-
dam ob puerperium aut in eo obiisse.
Homo e contrario, hoc respectu
comsideratus, et in primis ille, qui
maiorem gradum culturae, vt aiunt,
adeptus est, miserrimum nobis affert
obseruationis exemplar. Parturi-
ens femina tantis, tamque variis
subiecta est periculis, non ipsi sal-
tem, sed fetui quoque adhuc in vte-
ro latenti, mortem minantibus.
Mox affligitur grauida morbo acuto,
mox conuellitur spastice parturiens,
et saepius grauissimis haemorrhagiis
vexatur, sibi fetuique, ni obstetri-
cantis manus opem ferat, citam per-
niciem parantibus. Sunt quidem
conuulsiones grauidarum sat pericu-

A 2 losum

*). Vid. I V N G *Vieharzneikunß*, Th. I. §. 343.

losum symptomam, quod, in partu si ob-
uenit, non mediocri periculo comi-
tatum est, et oblitetricantem requirit,
artis suae certe peritum, nisi feminae
exitium sit paraturus. Eundem autem
periculi gradum, quin forsan maio-
rem, tenent haemorrhagiae; et ex his
ea species, quae a placenta orificio
uterino insidente oritur, omnium est
periculosissima. Quam de ultimo hoc
casu obseruationes faciendi occasio-
nem habui, ansam mihi dedit ad varia
huius argumenti colligenda: inde
dissertatio haec enata est, cui praem-
isi pauca, de placenta adhuc me-
moranda.

Placenta

Placenta vterina est ea pars, in vtero graui-do contenta, qua commercium cum fetu et matre, mediante funiculo vmbilicali, fit, et quae humores, praecipue autem sanguinem, pro fetus nutrimento ex vtero haurit. Constat, huic scopo vt inseruat, multitudine vasorum, tam arteriosorum, quam venoso-rum, parenchymate suo inter se contextorum; nervis caret. Numerus placentarum numero fetuum respondet: in homine igitur vniuersitate saltem adebat, excepto statu gemello-rum; in reliquis animalibus multiparis plu-res adsunt. In medietate crassior est, quam ad ambitum, figurae rotundae, magnitu-dinis diametralis circa pedis dimidii.

Affigitur placenta internae cavitati uteri, et quidem partim ope telae filamen-tosae, ambitum eiusdem efficientis, ligamenti, sic dicti, orbicularis, partim yasis minimis, iisdem yasis, quae ex vtero ve-

niunt, insitis vel, ut aiunt, inosculatis. Locus, vbi in interno vteri pariete affigitur, consuetus est fundus eiusdem, seu is, qui orificio e diametro est oppositus. Hic in partu naturali inhaeret placenta, et quidem in maximum et mirabile partus leuamen. Observationibus enim certis constat, eam partem vteri, vbi placenta sedet, crassissimam, et huic oppositam tenuissimam esse. Ope crassi fundi vteri, contractiones eiusdem validiores fiunt, et tenuis orificii dilatatio facilius succedit.

Interrunt autem exempla, vbi placenta non adcurate fundo vteri insidet et ex nihilo minus natura partum perficit, et hoc interdum pari facilitate. Inuenitur saepe placenta vel in antica superficie vteri interna haerens; vel sedet quoque in postica; vel etiam ad dextrum et ad sinistrum latus accreta. Attamen hi loci pro placenta non sunt naturae consentanei censendi: quippe fieri potest, et certe re ipsa sit, ut placenta ad latus quoddam accreta obliquitatem in hoc latus, aut ut adhaesio ad anticum parietem inflexio-

flexionem vteri in partem anticam producat. Varietates hae circa accretionem placentae omnes, licet partum difficilem efficiant, tamen non ea difficultate et tali periculo premuntur, quam ea, quae adhuc restat. Haec est:

Placentae accretio supra orificium vteri.
Haec si adeat, necesse est, ut exoriatur haemorrhagia parturienti fetuique saepissime pessimi ominis, quae statum hunc inter grauissimos in arte obstetricia casus ponit. Oritur autem talis haemorrhagia ex dilatatione vasorum sanguiferorum placentae, quae ex dilatationibus oris vterini dirumpendo euacuantur.

Potest vero placenta ori vterino irradiata, vel tota quanta orificio vteri supertensa esse, aut solummodo portio eiusdem ibidem inhaerere. In priori casu grauior, in altero minus grauioris momenti est, quae inde sequitur, haemorrhagia.

Iure omnes haemorrhagiae, grauidis superuenientes, et si non e genitalibus san-

guis effluat, periculose sunt habenda: non tamen omnes sunt eiusdem momenti, ideoque nec eandem medelam, sed saepius aliam, saepius contrariam, saepius nullam exigunt curationem. Haemorrhagias ex aliis, quam partibus genitalibus, ut v. c. haemorrhagiam grauidae ex ore, naso, pulmonibus a) etc. tacebo. Sunt autem hae diuersi generis, et a nostra probe distinguendae: haemorrhagia e genitalibus autem non solum ante, sed et post partum, atque in partu ipso locum habere potest, cui longe alia est causa, quam placenta ori uterino irradicata.

Quae partum antecedunt, haemorrhagiae sunt potissimum menstruatio, aut talis sanguinis fluxus, qui abortum praecedit. Menstruatio adesse in femina grauida videtur contra naturam; adsunt autem observationes variorum, veritatem huius probantes: ex quibus sufficiat allegasse celeber. MVR-

SIN-

② SAXTORPH *Umriss der Geburthilfe. Aus d.m Dänischen von Schröder. Kopenh. 783. §. 98.*

SINNAM b). Eiusmodi vero sanguinis pro-
fluuium eo a nostra discrepat haemorrhagia,
quod regulariter, quois circiter mense, re-
currat, et quod quantitas sanguinis emissi
valde parca obseruetur. Haemorrhagiam
vero abortum praecedentem distinguimus
a nostra eo, quod ante tempus vitalitatis fe-
tus ingruat. Oritur haec ex solutione pla-
centae ab vtero, vi quadam vel externa, ut
ictu, lapsu, cet. vel interna, ut animi patho-
matibus iusto validioribus, in primis in sub-
iecto debili, producta, et tam diu continua-
re solet, quam vterus omnia, quae conti-
nebat, euacuarit, vel sponte et vi sibi pro-
pria, vel adiuuante alio.

Post partum iam peractum, haemor-
rhagiae oriuntur primis diebus à vasis vteri,
nondum omnino clausis, quae sanguinem
adhuc in iis hucusque contentum euacuant.
Poslunt vero etiam exoriri haemorrhagiae
mox post partum a retentis adhuc secundi-
nis in vtero, extractione statim curandae.

A 5

Ori-

b) Von der Behandlung der Schwangeren und Säugenden.
Bettl. 1 Th. S. 4.

Oritur pari modo non raro haemorrhagia
mox post partum a placenta, violenter ab
vtero auulsa, a portiunctula placentae in
vtero retenta, a paralyfi vteri, a plethora
puerperae, ab animi pathematibus validiori-
bus eiusdem, et praeterea ex variis aliis
causis, si grauida alio morbo simul laborat.
Omnes vero hae post partum subuenientes
haemorrhagiae, iam eo ipso, quod post
partum iam perfectum orientur, ab illa, vbi
placenta oblata in causa est, distinguuntur.
Non omnes periculosae sunt, ac variae a na-
tura ipsa, et quidem contractione vteri,
sponte superantur.

Maioris vero momenti et magis ad
coeptum nostrum pertinentes eae sunt ha-
bendae haemorrhagiae, quae in partu ipso
obseruantur. Variae enim caussae, tempore
partus, periculosum sanguinis fluxum face-
re possunt. Potest primo, saepe quidem
leuis, quandoque vero sat grauis haemor-
rhagia ex ipsis in vagina sitis sanguineis vasis
oriri, quam vaginalem haemorrhagiam vo-
cant. Vacat tamen plerumque talis haemor-
rhagia omni periculo; quippe vasa va-
ginæ

ginae eam producentia cum vterinis nullo commercio sunt vnta *bb*), et facile cedit injectionibus frigidis in vaginam, et venaesctioni victuique antiphlogistico, quia tantum in plethoricas locum habere solet. Quae adhuc restant haemorrhagiae, tempore partus obuenientes, multo sunt maiori periculo comitatae. Oritur scilicet periculosa haemorrhagia, si funiculus vel breuitate naturali, vel motu validiori fetus dirumpitur. Fetus mors, ni statim obstetricatio fiat, inde est sequela necessaria. Funiculus iusto breuior pariter haemorrhagiam efficit, quae in eo, quod inter dolores augeatur, cum nostra conuenit; hoc si accidit, placenta vi ab vtero vellitur, quod haemorrhagiam facit funestissimam et matri fetuque exitiosam, ni obstetricans versione partum celeriter finire festinat. Placenta quoque ipsa, licet non infideat ori vterino, ex parte soluta esse potest ab vtero, quod etiam prouocat sanguinis fluxum, vires parturientis quidem valde debilitantem, ast fetus mortem non

ab-

bb) Paullo alter sentit PHIL. ADOLPH BOEHMER
in *Obseru. anatome. Fas. II. Tab. V.*

absolute inducentem. Ruptura vteri in parte eiusdem collo vicina, magna et immedicabili, atque me iudice absolute lethali comitatur haemorrhagia. Demum vas quoddam sanguiferum vteri tantopere extensi si disrumpitur, oriatur, necesse est, haemorrhagia, pro magnitudine vasis disrupti plus minusve exitiofa.

Tantum de aliis haemorrhagijs, partum aut comitantibus, aut antecedentibus, aut insequentibus. Omnes hae non aequale cum nostra inducunt periculum. Necesse igitur est, hanc ab omnibus aliis probe distinguere. Inter symptomata huic soli propria inuenimus in primis id, quod exploratio vaginalis praebet ad diagnosin huius partus, per symptomata periculosi, maxime idoneum, et, si ita dicere licet, quasi pathognomonicum: quod nempe digitus explorans, si orificium vteri iam dilatari incepit, in eo detegat corpus spongiosum, in eodem haerens, massæ carneæ simile; quod ideo etiam ab imperitissimo quoque, in parturientis existium, facile pro mola habetur. Huic si superuenit haemorrhagia, sub doloribus ipsis refur-

resurgens, extra omnem dubitationis aleam ponitur iudicium de oblata placenta. Sola vero haemorrhagia, inter dolores ad partum intensa, alias quoque adeisse potest, et quidem speciatim, si ob funiculum iusto breuiores placenta ab utero auellatur.

His expositis facile erit, ideam de symptomatibus, eiusmodi partus speciem tam praeeuntibus, quam concomitantibus atque insequentibus, sibi formare.

Experientia compertum est, orificio uteri non ante principium ultimi grauiditatis mensis aperiri, nisi violentia quaedam grauidae contingat, aut physica, aut e mente originem ducens. Omnia igitur, quando ex voto grauidae succedunt, nec villa perturbatur, quae utero gestat, necesse est, eam ad principium usque grauiditatis ultimi mensis, omnimode tranquillam restare, neque ullum symptoma obseruari in illa, nisi quod partus felicem terminationem sperari iubet.

Si vero propior exploratio vaginalis instituitur, iam magis suspectum aliquod inuen-

inuenitur, quod non tam cum naturali statu consentaneum reperitur, quam ea, quae antea diximus. Quando enim grauida ultimis exploratur mensibus (in partu naturali), segmentum vteri inferius magis rotundatum a capite iam descendente inuenitur, quod vero in hoc nostro casu non est. Inuenimus enim hic corpus capite mollius, et quidem primo per segmentum inferius vteri; orificio vero vteri situ non mutatum et ut in partu naturali inuenitur, scilicet in axe peluis.

Simulac autem, versus principium ultimi grauiditatis mensis, os vterinum incipit dilatari, inopinato casu et absque villa violentia externa, aut villa vehementis cuiusdam animi pathematis praegressione, prorumpt validus quidem, mox vero cessans, sanguinis fluxus.

Quem paullo post excipit alter, tam quantitate effusi sanguinis, quam duratione fluxus, maior et periculosior.

Si grauida, post tales haemorrhagias, continuo quieta iacet, possunt quidem saepius

pius reditus sanguinis fluxuum moderari, non
vero omnimode praecaueri. Mediocri enim
et saepius, ut videtur, leuioris momenti
corporis animiue motu, reuiuiscent haemorrhagiae: quae, quo citius saepiusque
recurrunt, semper largiores, diutius durantes,
et celerius redientes eueniunt.

Vltimis autem diebus delapsi grauiditatis spatii, miserrimum tali in statu partu-
riens affert adspectum. Ipso enim partu,
veris sic dictis ad entendum doloribus in-
gruentibus, sanguis paene non interrupte con-
tinuante riuo effluere pergit, et grumos coa-
gulati sanguinis in vagina formatos, ibidem
que haerentes, secum ducit. Hoc in statu
tempus est, orificio vteri licet paullum aper-
to et crasso, quod saepius inueni, (cfr. Hist.
III.) absque vlla remoratione parturienti
succurrere; quod si negligitur, miserrime
femina ut pereat, necesse est.

Fetum in eiusmodi iam iam descriptis
haemorrhagiis, quando sanguis per quod-
dam tempus riuo continuo effluxit, vita pri-
uari oportet. Mater vero interdum diuti-

tius

tius, interdum non tam diu, quam fetus viuit, scilicet quoad sanguinis fluxus aut diu iam durauit, aut nuper incepit, obstetricante in auxilium vocato. Sibi ipsi relicta mater, aut obstetricante iusto serius aduocato, (quod proh dolor saepissime fit) certis morti passibus obuiam ir. Mortitur autem vel ante partum finitum, et tunc vel cum, vel sine motibus conuulsu*s*, vel in partu^c, vel in puerperio, et tunc vel ex debilitate sola, vel ex debilitate cum conuulsionibus, cuius rei ipse exemplum vidi^d). Solent autem mortem tum annunciare: dolorum imminutio, quoad vehementiam, ita, ut demum omnino cessare videantur, reliquaque morti communia indicia, ut pulsus debilis, frequens, et intermittens, oculi caligantes, susurrus aurium, extremitates immobiles; frigidae, frigidique sudores, quibus interdum superueniunt conuulsiones.

De methodo medendi, quando placenta orificio irradicata sanguinis profluuii est causa, optimi in arte obstetricia aucto-

res

^c) Acta societatis med. Hafni. 1787. Vol. I. p. 97.

^d) Vid. Hist. ur. III.

res, SMELLIE, FRIED, LEVRET, ROEDERER,
 SAXTORPH, BAUDELOQUE, STEIN, PLENCK,
 omnes in eo consentiunt, quod partus, si
 magna pars placentae sese offerat, versione
 sine mora terminetur; si vero minor tan-
 tum una cum capite bene locato intrat por-
 tiacula, naturae sit reliquendus. Optimum
 sane hocce esse consilium, et ego experien-
 tia sum edocitus, quippe naturae maxime
 consentaneum omni absque dubio est: quae
 eo ipso, quod vnicē terminatione partus
 id, quod haemorrhagiam efficit, remoue-
 tur, tolli quoque effectum, scilicet sanguinis
 fluxum in iis casibus, vbi naturae commissus
 est exitus eiusmodi partus, luculentissime
 probat. Eo vero magis miratu dignum vi-
 detur, et, ni auctoritas viri obesset, vix cre-
 dibile, quod cel. PYZOS in eo tractatu, qui
 inscribitur: *Mémoire sur les pertes de sang,*
qui surviennent aux femmes grosses etc. et ad
 calcem libri eiusdem, cui titulus *Traité des*
Accouchemens Paris 1759 inuenitur, vbi vir
 in arte obstetricia sane princeps contra o-
 mnem experientiam, immo contra ipsam na-
 turam, non suadet solum, sed exemplis illu-

B

strat

strat consilium: tali in casu dilatando orificium vterinum, et saepius pertundendo velamenta pro continendo liquore amnii, ita, ut liquor effundatur, partum promouendi. Putat vir cel. et quidem maximo iure, obstetricationem ope versionis semper magis parturienti esse dolorificam, eandemque ob cauflam, si negotium partus sola natura absolui potest, huic semper laborem esse committendam; quod tunc eo tutius fieri potest, si placentae proxime incumbit caput, et quidem bono ad axin peluis situ. Quoniam autem modo, de situ capitis iusto, iudicium ferri possit, si palpationi eiusdem se se imponit placenta? non intelligo: cum iam difficillimum sit determinatu, an caput sit bene locatum, si exploratio per segmentum vteri iuferius, ore vterino adhuc clauso, instituenda est. Verum est, caput praeium certe tunc detegere possumus: ego vero confiteor, me nunquam iudicium, rebus ita se habentibus, ferre potuisse, quamnam capitis pars ea sit, quam apice digiti per segmentum vteri tetigi. Consilium quidem

dem dant cel. BOESSEL e) aliique, si sola exploratio vaginalis non sufficiat, manualem instituendi: credo vero equidem, non et ipsam hanc multum fore adiumento ad certitudinem maiorem adipiscendam ei, qui explorat, sed potius sanguinis fluxum adauertit, quia immissione manus in vaginam non sanguis solum coagulatus e vagina removetur, (a quo sanguinis fluxus interdum mechanice et ad tempus reprimitur,) sed etiam, irritamento ibi in vicinia oris vterini applicato, hoc adeo stimulari posse, ut inde major haemorrhagia exoriatur. Si itaque constat, in eo casu, ubi placenta oblata est, non certum iudicium ferri posse de capitibus legitimo situ, iam patet, nos operam non perdere solum, sed grauidam etiam una cum fetu certae mortis periculo subiicere, si versio negligimus. Quod vero idem vir clarissimus ait, se pertundendo vesicam pro continendo liquore amnii, nostro in casu, vterum ad contractionem stipulare, et quod a contracto vtero vasa sanguinem funden-

B 2

tia

e) *Grundlegung zur Hebammenkunst*, Altona 1753,
§. 489.

tia coarctentur, verum quidem esse videatur: rem vero accuratius examinantibus, facile satisque constabit, quod, licet spatium vtero, remoto humore amnii, paretur ad contractionem, et re ipsa contrahatur vterus, nihilo minus tamen subsistat causa fluxus, fluxumque ipsum necesse sit augeri, quia, contrahente se validius fortiusque fundo vteri, orificium magis magisque dilatari oportet, et, dilatato orificio vteri, patet haemorrhagiam augeri. Metuit porro vir doctissimus continuatam haemorrhagiam a praecipi vteri exinanitione, siquidem non pari velocitate vasa vteri claudantur. Coneendum omnino est, inanitioni subitanee saepe periculum inesse. Si autem infra recensendae encheires omnes obseruantur, et ex his inprimis, quod leuis fascia abdomini circumdetur, antequam operator incipiat, quam, si opus censet, paullum adstringit; aut si, secundum consilium cel. SMELLIE^{f)}, manus non prius vtero extrahitur, quam contractiones incipientes sentiuntur.

^{f)} Vide ei. *Introductio ad artem obster. germ.* a ZEINER,
- Altdorbi 755. Sec^d 3. Nr^c 2.

21

tiuntur, hoc non metuendum censeo; et si nihil minus profluum iusto validius post partum ingruat, tunc sperare possumus, in primis ab applicatis utero interno frigidis acidulisue remediis, eum ad contractionem et coarctationem vasorum nos certe stimulaturos esse. Consilium itaque illustrissimi viri ex nuper allatis cauiss nunquam sequendum arbitror, inimico ne in leuissimis casibus, ubi tantum modica pars placentae praevia est: lubentius aut sine turbatione naturae relinquem omnia, aut, si haec nimis tarda ageret, ne vires grauidae omnino consumerentur, et si adhuc fieri posset, versionem facere melius duxisse, quam dilatando os uteri, in illo casu, ubi ab ipsa dilatatione orificii haemorrhagia augetur, partus promouendi periculum facere. Pari paene modo in libro, qui tribuitur IVSTINAE SIGMVNDING) hoc in casu obstetricatio suadetur. Consilium enim dat altera seminarum, inter se de arte obstetricatoria colloquentium, alteri, ut acu obtusa longaque vesicam pro continendo liquore

B 3

annii

g) *Die Königl. Preuß. und Cburfürstl. Brandenb. Hof-Webemüller*, Berl. 1741. p. 215.

amnii perforet, atque humores effluere faciat, quo facto a capite fetus apertura, acu facta, dilataretur; et tali modo partum feliciter terminatum sese fere semper vidisse. Quid autem de hoc asserto sit statuendum, non est quod prolixius declarem, quia iam iam de hac re contra cel. P V Z O S differui. Dantur praeterea a variis varia consilia, et quidem remedia, quibus ante vtendum esse suadetur, quam ad partum arte absolendum sese accingat obstetricans. Sic a quibusdam laudantur adstringentia, et nominatio a celeb. PLENCK h) commendatur medicamentum ipsius ad fistendas haemorrhagias alias efficacissimum, tinctura nempe Cinnamomi. Aqua frigida in et externe applicata, spiritus vitrioli, reliquaque in aliis haemorrhagiis laudata sunt remedia, et imprimis tinctura Cinnamomi in vterinis; et applicari quidem in nostro casu possunt, (vbi tamen nullum datur certum remedium, quam in operatione,) licet non sperandum sit, aliquid veri emolumenti exinde nos esse captu-

b) I. I. PLENCK *Elementa artis obstetriciae*, Viennae 1781. p. 153.

capturos, quia omnibus, licet studioſiſſime adhibitis, fons atque origo sanguinis fluxus tamen immutata relinquitur. Quidam autem, vel ex ignorantia, vel a constitutione plethorica parturientis decepti, venaſectiō nem, eandemque vel repetitam, applicare solent in quauis, ergo etiam in noſtra haemorrhagia, quam facilius instituendam ſibi persuadent, ſi tactu nondum, parumue tantum, detegatur apertum vteri oſtium. Haec vero medicationis species admodum dannanda eſt, quia eiusmodi sanguinis emissiō nibus vires magis magisque, eo inprimis, quod copia sanguinis praeter neceſſitatē imminuitur, infringantur, quod poſtea per ſe nimis abunde fit. Ex omnibus hiſce allatiſ patebit igitur, quod iam ante dictum eſt, ſi placenta ori vterino irradicata haemorrhagiā in partu facit, medicamenta nihil efficere, et vnicum tunc remedium in versione quaerendum eſſe. Tempus autem, quo operatio iſtituatur, quod artinet, auſtores et ex hiſ ill. SAXTORPH i) praecceptor ad cineres uſque colendus, cenſent:

B 4

tam

i) Umriss der Geburshilfe, Kopenh. §. 68.

tam diu exspectandum esse, donec grauida
 iam animi deliquio laboret, aures tinniant
 et extrema frigefieri incipient. Ex historia
 nr. III. vero tristi edo&tus experientia credo:
 non semper hoc momentum esse exspectan-
 dum, et, si tempus grauiditatis praeterlap-
 sum sit, post primam haemorrhagiam vali-
 diorem, confessim obstetricationem incipi
 debere versione. Verum est, eo mo-
 mento, vbi iam paene moribunda est mu-
 lier, versio facilior peragit; in eo vero,
 quem indicaui, casu, eadem erat os uter-
 inum duritie, quam antea, vbi primum eam
 exploraueram. Quocirca, si tales casus eue-
 niant, ne momentum quidem versionem
 differendam esse optimum duco. Non
 possum denique praeterire consilium quo-
 rundam in arte obstetricia auctorum, qui
 suadent, in eo casu, vbi placenta tota ori
 uterino supertensa est, in medio eam digito
 perforare, et per foramen hocce fetum ver-
 sione extrahere. Varia incommoda, talem
 obstetricationem prementia, v.c. quod pla-
 centa in medio crassissima sit, quod tali
 modo facile funiculus a placenta sciungi, in-
 deque

deque valida haemorrhagia exoriri possit; quod membrana placentam vestiens, valde compacta, difficilisque sit perforata; quodque demum multo magis ea methodus, vbi ad latus placenta ab utero abraditur, naturae videtur conueniens, quia non tam artificiosa est, quam haec: omnia damnationem methodi huius magis suadent, quam eiusdem commendationem.

Restat adhuc mihi, demonstrata necessitate citae versionis, quando oblata placenta haemorrhagiam excitat, breuiter encheires ceteraque commonistrare, quae circa operationem faciendam adhuc notatu digna veniunt.

Si ergo haemorrhagia quaedam gravidae contingit, nil magis curae cordique huic esse debet, quam quod quiete maxima, usque ad tempus partus incipientis, fruatur. Ob incommoda continui in lecto cubitus, tandem felici enixa fetus viui, largissime remuneratam se sentiet. Fieri si potest, optimum censeo, ad tempus omnimode praeterlapiae grauiditatis, si grauida continuo

B 5

lecto

lecto teneatur, et durante hoc tempore vi-
rat, quae corpus animumue mouere possunt.
Interea, quae ad partum requiruntur, res in
promptu et in vicinia habeantur.

Simulac autem noua haemorrhagia ex-
oritur, confestim imponatur parturiens lec-
to obstetricio k), quod tantae altitudinis sit,
ut ad umbilicum obstetricantis sele eleuet;
qualis est mensa obstetricia cl. SAXTOR-
PHIO visitata, cuius iconem vide in libro
eius: *Introductio ad artem obstetricato-
riam I*, danico idiomate edito. Hanc ego
optimam varias ob caussas habeo, eaque
semper vsus sum.

Circumdet dein obstetricans abdomen
grauidae, mantili longo, cuius fines ad latera
dependent, ita ut his firmius abdomini ad-
stringi possit. Vtile saepius hoc est ad contra-
ctionem uteri iuuandam, et melius, quam im-
positio

k) Notandum autem omnino est, si obstetricans tum
demum adueniat, quando grauida iam nimis exau-
sta est, tunc temporis illam non e lecto portandam
esse, sed ipso in lecto versionem esse faciendam.

l) *Plan til Forelesninger over Jordemodor, Videnslaben;*
Kiebenh. Th. 2,

positio et impressio manuum in ventrem
grauidae ab obstetricante eiusdemue adiu-
tore. Obseruauit enim, praecipue inter eni-
tendum, vel leuissimam a manu pressionem
abdomini maxime dolorificam fuisse.

His obseruatis, imprimis vero, si gra-
uiae iam vires frangi incipiunt, ad versio-
nem sese accingat obstetricans, quam mo-
do nunc indicando perficiat.

Introducat manum per vaginam ad
orificium usque, et exploret, qua parte pla-
centa adhaereat, ut et qua parte ab illo sit
auulsa. Introductio manus per genitalia ex-
terna lentissimo modo fiat. Iubetur quidem
conum ex digitis formare, et motu terebra-
torio immisionem perficere. Est autem
methodus haecce valde dolorifica, quare
melius duxi, quod quoque semper perfeci,
manum perpendiculariter vaginae impone-
re, et leui digitorum diuariatione, absque
ullo motu terebratorio, eam antrosum pre-
mere, pollicem fortiter volae apprimendo.
Tali modo facile infra arcum pubis manu
ascendi potest. In vagina si manus iam ad

car-

carpum usque est introducta, sine obstaculo ad os vteri venit; hoc pari modo apicibus digitorum dilatandum est, et quidem optime, dum medius digitus primo immissitur ori adhuc parum hianti, dein index et tum annularis et minimus. Digitis omnibus ad articulationem cum carpo immisso, manus hucusque in pronatione habita nunc leniter in supinationem vertatur, simulque parum antrorsum versus moueatur, quo facto facile in capitatem vteri introducitur. Videat vero obstetricans in dilatando ore vterino, qua parte placenta libera sit a margine oris, ibidemque hanc leniter ad latus reprimat.

Velamenta, quae liquorem amnii continent, hucusque, si fieri potest, illaesa seruata, nunc manu circumeat, ut per ea pedes inueniat: quo facto, super eum locum, ubi pedes adesse inuenit, eodem momento et velamenta dilaceret, et pedes arripiatur. Idem est, si non ambos simul amplecti potest, unum tantum prehendere.

Hunc tum in vaginam demittat, ut illi ligaculum imponat.

Manus

Manus altera m) dein sequatur pedem detractum, ut alterum quaerat, quo inuenito, secundum praecepta artis versionem absoluat.

Fetus eductus quandoque iam valde debilitatus est. Cauendum vero, ne statim pro mortuo habitus ad latu^s ponatur. Omnia studiosissimo et indefesso labore ad eum excirandum applicentur, et si post horae spatium nondum vitae signum ederet. Vidi enim exemplum, vbi neonatus fetus, post curatissimos eiusmodi labores non nisi post horae spatium, vitae prima signa cedebat, qui dein bonae valetudinis infans fiebat.

Matrem licet debilissimam vixque pulsus vestigium superstitem habentem, nihil minus qua certe moribundam relinquere, humanitas verat: exempla enim non desunt,

et

m) Contra extractionem fetus uno tantum pede, autores id habent, quod fracturam ossis femoris, alterius pedis in utero remanentis inde metuant. Non tam valde hoc metuendum esse censeo, et cum cel. PYZOS saepius uno pede eduxi fetum, quod tunc felicissime perficerem potui, si, educens ad nates usque primum pedem, tunc totum fetum sensim sensimque in diametrum coniugatam aperturam inferioris pelvis conuerti.

et debilissimas, maximeque viribus exhaustas, somno in primis et praeter haec optimis analepticis atque neruinis, a praesenti medico adhibitis, seruatas esse. Placentam cum illi annexis membranis mox post partum eximendam credo, quia uteru s largissimo sanguinis fluxu eo modo exhaustus, et hanc ob causam in expellendo tardus, hac resubleuatur, eique spatium ad contractionem paratur. Si autem ex atonia, eductis iam secundinis, nondum sese contrahat uterus, et haemorrhagia etiam post finitum continuet partum, fine mora optima contra haemorrhagias, interne et externe commendata remedia applicentur; e quibus certissime non leuioris momenti et efficaciae sunt injectiones frigidae, imprimis aceti aquae nupti, quae vola manus vacuo utero, ad internam eiusdem superficiem, optime applicantur.

Ad illustrandum ulterius partum, ubi placenta est oblata, eiusdemque obstetricationem, coronidis loco, sequentes licet eiusdem afferre historias.

i) Die

I) Die 18. Ian. h. a. vxorem militis
 adii parturientem, aetatis 38 annorum, iam
 altera vice grauidam, staturaे majoris, bo-
 naeque ceteruni sanitatis speciem p[re]fe-
 ferentem. Caussa, quare ab obſtetricie ad-
 uocabar, erat haemorrhagia grauidae obor-
 ta, quae inter dolores semper adaugebatur.
 Quantum quaerendo experiri poteram,
 erat, grauidam iam ante 14 circiter dies
 leui sanguinis fluxu vexatam fuisse, quem
 vero eo, ab obſtetricie dato, confilio, vt per
 biduum fese tota quieta lecto haberet, feli-
 citer curauerat ipsa. Hinc nulla exorta
 est v[er]terior haemorrhagia, et semper labores
 domesticos perficere potuit. Hodie vero
 hora prima post meridiem impetu uno sta-
 tim post prandium vehementi dolore vexata
 est, cum sanguinis fluxu largo concomitato;
 rediit deinceps paene omni hora alter semperque
 vehementior, ita, vt de partus appropinquatione
 conuicta obſtetricicem aduocaret hora
 circiter sexta vespertina. Quae simulac eana
 vidit, me statim in auxilium vocat, nec ex-
 plorationem ipsa suscipere ausa est. Ade-
 niens ego, inueniebam grauidam iam pulsu
 debili

debili et satis exhaustam, quam statim, doloribus quia tum vacabat, circumspete sellae imposui. Hic, exploratione vaginali suscepta, coagulati sanguinis plenam inueni vaginam, quo remoto orificio vterinum attigi ad duos circiter pollices dilatatum, bene locatum nec obliquum, neque valde durum, eique vero proxime supertensam detegi placentam, totum pene ambitum, quoad apertum erat os vteri, occupantem, attamen anterius, versis arcum pubis, marginem placentae tetigi. Liquor amnii iam cum sanguine ante horam erat effusus, quod parturiens se percepisse ipsa referebat. Quia inter explorandum, nouo dolore, nouaque haemorrhagia vexabatur, statim versionem incipiebam. Dextae manus igitur digitis, primo placentam paullo magis, ubi iam seiungi incipiebat, soluebam, ita ut paullum dilatando orificio vterino facile ad vteri cauum usque venire possem. Proximum, quod mihi obueniebat, erat occiput, fetumque praeterea bonum naturalemque situm habentem experiebat, qui, ni placenta obfuisset, quoque sola adiutrice natura nasci
po-

potuisset. Ad pedes fetus in fundum igitur
uteri adscendentis nullae intricaciones mem-
brorum fetus oblatæ sunt, nisi quod brachia
nuchæ imposita haberet. Facili itaque nego-
tio l. a. operationem perficere, et pedibus pre-
hensis ambobus fetum educere potui viuum
vegetumque; quo vero educto, dum paullo
post explorationem abdominali contractions
fundi uterini incipere sentiebam, et leuibus
in funiculo tractionibus secundinas eximere
tentabam, hic tenerrimus sese a placenta
separauit: manum igitur de nouo introdu-
cere debebam ad placentam eximendam,
simulac autem haec educta erat, omnis hae-
morrhagia cessabat.

Puerperæ, exhaustæ viribus, potionem
analepticam propinabam, et lecto cale-
facto mox imponere iubebam. Naturæ
integritas mox vires suas medicatrices cum
conaminibus meis coniunxit, ita ut post 4
hebdomades rursus officio fungi, atque neo-
nato suo vbera præbere posset; neque post
ea vlo modo aegrotauit.

C. II) Ab

II) Ab obstetricie ad vxorem viri pauperis d. 25. Martii a. c. hora 2. nocturna in auxilium ob haemorrhagiam grauem et ipsi immedicabilem vocabar. Adueniens inueni feminam 30 annorum, defatigatam iam valde, cui quoque pulsus admodum ob haemorrhagię perpeſiam validam debilis factus erat. Dolores ante bīhorium aduenierant, et sanguinis fluxus indeſſere absque intermissione continuauerat. Iam mensae obstetriciae illam imposuerat obstetrix. Hic quaque ad illam, iam suspicans placentae oblationem huius haemorrhagiae esse causam accedebam, et exploratione ipsa instituta memet non ſefellisse comperiebam. Vagina erat coagulati sanguinis plena, orificium magnitudinis eius ut 2 digitorum immissionem admittere posset, molle et tenuie. Ex orificio autem in vaginam depen-debat pars placentae, quae circiter erat voluminis pomi dimidiati maioris, et, ad latutus huiusc placentae portionis, vesica humorem amnii continens, quae vero aquis non erat valde tumida, nec tamen per hanc et multo minus per placentam potui digitis attin-

attingere certam quandam fetus partem.
 Ex omnibus hisce, imprimis vero ex magna
 debilitate grauidae, cum versione festinan-
 dum esse duxi, ut matris fetusque vel alter-
 utrius tantum vitam seruarem. Illaesis tu-
 nics itaque facile in cauum vteri peruenire
 potui, et tunc vola manus totum ouum am-
 biebam, donec pedes, qui in dextro latere
 fundi vterini locati erant, detegebam; nunc
 una perfringebam tunicas et arripiebam pe-
 des, quos statim deorsum versus extrahere
 conabar. Inter extrahendum vero alter
 digitis meis elabebatur, quo coactus eram,
 primum tantum primo deducere solum.
 Circumposito deinde supra malleolos educti
 pedis ligaculo, sinistra manu adscendi, et
 facile alterum pedem supra cristam pubis
 inueniens, hunc pone alterum deduxi.
 Ambobus pedibus dein fetum lege artis ex-
 tricare studebam, qui hoc in easu transuer-
 salem habuit situm. Postquam autem ad
 clunes vsque eduxeram fetum, nouum ex-
 oriebatur impedimentum, et quidem a fu-
 niculo umbilicali, quippe qui tractionibus
 resistebat, nec illo modo e loco intra cru-

ra ad latus dimoueri potuit. Coactus igitur eram funiculum dissecare, quod quoque inter duas ligaturas, antea illi circumpositas, perfeci. Tum omnia feliciter cedebant, facile brachia extricabam, et ad collum usque fetum eduxi. Nunc in conspectum venit causa remotionis, quae erat funiculus collo circumpositus, caput dein mox eximere potui; quo enixo foetus in lucem edebatur, qui post balneum in aqua tepida mox viuum se esse clamore manifestabat.

Puerpera quoque haud paullo post adhibitis neruinis et roborantibus, pristinam recuperauit valetudinem, et puerperium habuit felix.

III) Die 1^{mo} Aprilis h. a. ad vxorem fabri lignarii vocatus sum, ob grauem parturienti subortam haemorrhagiam. Adueniens ibi comperiebam, iam a tribus circiter hebdomadibus grauidam per interualla leui laborasse haemorrhagia, ex qua vero nullum diuinauerat periculum, quia mox sponte

sponte sedata erat. Hodie vero ante biliorum exortum est tam validum sanguinis profluum, quod nunquam tanta antea fauierat vehementia. Parturiens erat mulier 33 annorum, plethorica et obesa, atque iam ante 8 annos semel pepererat. In lecto cubantem eam statim explorabam, quae ipsa partum appropinquare credebat. Vagina erat coagulati sanguinis plena, quo remoto orificio vteri attigi, quod adhuc erat duressimum, nec plus quam adeo apertum, ut vix apicem digiti collo intromittere potuerim. Segmentum autem vteri inferius, nullo modo tensum, ut a capite solet, reperiabam. Haemorrhagia nunc cessauerat, quieta erat aegra, pulsusque minime debilis, immo potius, ut inter dolores aut post eosdem solet, aliquomodo durus tensusque. Viribus grauidae eo modo nondum fractis, censem, maiorem emolitionem et dilatationem oris vterini exspectari posse. Nil igitur magis illi maritoque inculcabam, quam quod quietissima in lecto sese habeat et noua suboriente haemor-

C 3

rhagia

rhagia me aduocandum esse sine mora iubebam.


Per biduum deinde, quotidie tribus vicibus eam adiens, nullas a statu descripto aberrationes obseruare potui, nec noua exorta est haemorrhagia.

Tertio vero die noua, priori validior, haemorrhagia oriebatur: statim aduocatus, parturientem videns, pulsum inueni debilissimum, sudorem pinguem faciei, et motus quosdam conuulsuos anguli oris. Vaginalem vero faciens explorationem, officium vteri, ut ante triduum, inueni, neque vello modo duritiae vel leuissima mutatio tactu erat detegenda. Fieri nunc autem non potuit, ut versio diutius protrahetur, imprimis cum grauida quovis momento lipothymiae proxima videbatur. Non mutationem situs in lecto, portationem ad mensam obstetriciam suscipere ausus sum, sed, licet mihi hoc molestias maiores ficeret, versionem in lecto perficiendam sum aggressus. Dextram manum primo

primo introduxi, et, quoad vites sinebant, digitis huius manus dilatare tentauit durissimum hoc os uterini, quod vero tam valide restitit, ut mox haec manus defatigaretur. Confestim vero, ea extracta, sinistram introduxi: qua paulo post supinata manu cayum intrabam. Sine dubio valida resistentia oriebatur a placenta, quae tota quanta irradicata erat ori uterino. Circum illaesa velamenta manum ambiebam. Caput erat in sinistro latere, et fetus cum genuis uterino proximus; sine mora supra pedes vesicam perfregi, liquorem amnii emisi, pedes prehendi, et his celester fetum eduxi viuum vegetumque.


Puerpera autem, ab operatione, durante qui maximam sanguinis copiam, praesertim inter dilatationem orificii, amiserat, qui continuante rivo paene semper mihi obuiam veniebat, in animi deliquium decidebat, durante quo autem motus convulsui anguli oris continuabant, sudor frigidus iam extrema occupare incipiebat, haemorrhagia autem cessabat. Porrexi
qui-

quidem neruina et reliqua vfitata remedia,
omni tamen absque successu: nam hoc in
statu per horam manebat, qua delapsa,
summa inquietudo oriebatur, iactatio in
lecto, mentis alienatio, et paullo postea
ipsa mors subsecuta.



Ua 3991 b

X 2309089



DE
**PLACENTA PRAEVIA
IN PARTV**

CONSENSV

GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS

IN REGIA VIADRINA

GRADVM DOCTORIS MEDICI-
NAE ET CHIRVRGIAE

CAPESSVRVS

D. XI. IANVAR. CIDIQCCXCI.

DISPV TABIT

ANDREAS GEORG. ALEXAND. KOELPIN
GRYPHISWALDIA - POMERANVS.



TRAIECTI AD VIADRVM,
E TYPOGRAPHEO APITZIANO.